

reperirem, mihi non contigit; postrema certe de suo ad-
iecit. Chronicam, sive de fide sive de oratione quaesiveris,
inter optima saec. XIV. opera historica numerabis. Non solum
de rebus in sua provincia gestis accurate agit, verum etiam
historiam paparum et imperatorum rara diligentia persequitur,
immo de rebus regionum longe remotarum tam multa
affert, quanta vix in ulla chronica Germaniae illo tempore
scripta reperiuntur. Non tamen rerum ubertati credulitatem
admisit auctor, sed semper a narratiunculis tunc iam
acceptissimis mentem tenet alienam: Nec leves audiciones
facit pro rebus compertis, nec quae minus certa relatione
cognovit in dubium vocare omittit. Oratio ubique nitida
est et ab isto inflato dicendi genere apud illius aevi
auctores iam pusillatissimo remota; quaedam, ^{lu}vet magna
pestilentia anni 1349, tanta arte descripta sunt, ut opti-
morum medi aevi auctorum ingenium redoleant.

Scribetam, Coloniae a. d. viii. Cal. Apr. 1841.